

eiანი. Sicut enim morbus, ut lepra, non est hominis substantia, sed in substantia hominis defectus & deformitas: Ita etiam peccatum non est hominis substantia, sed in substantia pravitas & vitium.

24. *Sed & illorum opinio à Confessione dissonat, qui negant animam hominis, atque ita totum hominem esse ex traduce. Si enim homo nascitur cum peccato, necesse est totum nasci cum peccato, & animam & corpore, quoniam peccatū est vitium ac immundities in ipsa anima & corpore simul, nisi quis velit dicere, non animam, vel spiritum mētis in homine, sed solum corpus regenerari & renovari contra scripturam. Contra quam falsam opinionem multis nūc differere, instituti nostri ratio non fert.*

ARTICULUS III.

DE PERSONA ET OFFICIO CHRISTI.

1. *Tertius articulus continet descriptionē incarnationis filii Dei, statum exinationis, finem & inuolūtas eius in carne, officium in statu exinanitionis, statum exaltationis & in eo officium ipsius regium & iudiciarium.*

2. *De*